



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Calvinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Acta Apostolorum to. primus

Stapleton, Thomas

Antverpiæ, 1595

Cap. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39424

zat, siue qui post aliquot annos aliter doctrinam
matizabit. Qui autem Christianus quum
tā absurdè & impiè de Christo sentire non
potest, quod tot videlicet seculis nullam in ter-
ris Ecclesiam habuerit quæ eum ritè colu-
erit, ille has Caluini & aliorum hodie hære-
ticorum tam frequentes exceptiones & re-
prehensiones facillè contemnet, quibus
Ecclesia Christi Catholica multa exagitatur
veluti ritus Iudaicos & obseruationes lega-
les. Quod semel contra Caluinum dictum
in vniuersum circa istud reprehensionum
& cauillationum genus valere debet.

C A P. X.

4. *Orationes tuæ & eleemosyne tuæ ascendent
in memoriam in conspectu Dei.*

Caluini
crassa &
foeda ca-
lumnia.

DVPLICI criminatione Catholica
doctrinam hoc in loco grauat Cal-
uinus. *Bisariam* (inquit) *hoc loco ab-
tuntur Papista. Nam quia preces & ele-*
mosynas Cornelij Deus respexit, vt eum Euange-
fide donaret; id ad preparationes à se confectas de-
torquent; quasi sua industria & virtute homo ac-
quirat fidem, & Dei gratiam operum meritis ac-
tenerat. Deinde generaliter colligunt, bona opera
sic esse meritoria, vt singulis augeantur Dei gratia
prout meriti sunt. Hæc ille. Quod priori loco
Catholica doctrinæ imputat, putidum &
affectatū mendacium est. Hæresem quippe
propriè

proprie Pelagianā, quam Catholica semper
 dānauit Ecclesia, & horū tēporum Catholici
 non secus exhorret, ac demū Concilij Tri-
 dentini Patres disertissimē anathematizant,
 homo nequam & mendax magister Ca-
 tholicis affingit. Quod homo sua industria &
 virtute fidem acquirat, his verbis damnat
 Concil. Tridentinum: *Si quis dixerit sine præ-* sess. 6.
ueniente Spiritus S. inspiratione, atque eius adiu- can. 1. & 3.
torio, hominē credere posse, anathema sit. Rursum
 quod Dei gratiam operum merita anteuert-
 ant, (propriam Pelagij sententiam) tum
 his verbis dictum Concilium execratur; *Si*
quis dixerit hominem suis operibus quæ vel per hu-
mana natura vel per legis doctrinam sunt, absque
diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari
coram Deo, anathema sit: tum in eiusdem sessio-
 nis doctrina disertè reijcit his verbis; *Decla-* Cap. 1.
rat: Synodus, iustificationis exordium in adultis à
Dei per Iesum Christum præueniente gratia sumen-
dum esse, hoc est, ab eius uocatione, qua nullis eo-
rum præcedentibus meritis vocatur. Hæc tibi. Sed
 vetus & obsoleta ac putida hæc omnium
 hereticorū hodie calumnia est, ex eo nata,
 quod præparationes ac dispositiones ex
 parte peccatoris ad primam iustificationem
 consequendam Catholici ponunt. Sic hunc
 locum Calvinus *ad præparationes à se confictas à*
Papistis detorqueri ait. Atqui vel studio lecto-
 rem fallit, vel stupidè & crassè ipsemet falli-
 tur. Præparationes quas ponunt Catholi-
 ci, ope-

Præparaciones ad iustificacionem ex Dei gratia procedunt.

ci, opera esse diuinæ gratiæ, & non humanæ virtutis aut industriæ, iuxta perpetuam Catholicorum fidem declarat Concilium Tridentinum his verbis: *Disponuntur peccatores ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidē cōcipientes, liberē mouentur in Deū,* &c. Vbi enumeratis præparationibus illis quibus homo ad iustitiam disponitur, fide in Deum & redemptorem Christum, diuinæ iustitiæ timore, spe veniæ, dilectione Dei, odio peccati, alijsque pœnitentiæ actibus, exordium & principiū harum omnium præparationum ab excitante & adiuuante Dei gratia sumunt, & opera esse specialis gratiæ Dei has omnes præparationes manifeste docent. Merum igitur & putidum mendacium est quod de præparationibus priorum loco criminatur Calvinus. Quare quod in sequentibus Cornelij eleemosynas & orationes ex fide profectas esse accuratè demonstrat, Pelagianorum dementiam (quos postea commemorat) rectè conuellit, Catholicorum præparationes nō infirmat. Nam & de ipso Cornelio iam dudum ex Augustino contra Pelagianos disputante didicerant Catholici, *Cornelium, antequam credidisset in Christum, sine aliqua fide nec eleemosynas dedisse, nec Deum orasse.* Hoc igitur nos docet exemplum Cornelij, bona opera ex fide & Dei gratia profecta hominem præparare atque disponere ad salutem, idque aded, ut

De prædeft. sanct. cap. 7.

Cornelij opera ante baptismum qualia.

Euan-

Euāgelij fide Cornelius donaretur (sicuti hīc Cal-
 uinus loquitur) Cornelij opera Deū respe-
 xisse. Erāt quidem Cornelij opera Deo gra-
 ta: Non enim (ait Aug.) debemus improbare homi-
 nis iustitiam quā prius esse cepit antequam coniun-
 gereur Ecclesie, sicut esse ceperat iustitia Cornelij
 priusquam ipse esset in plebe Christiana; quā si im-
 probaretur, non dixisset ei Angelus, *Accepta sunt*
e' elemosynae tuae, &c. non tamē erāt vel huius-
 modi ex quibus saluus fieret, vel ipsius salu-
 tis postea data merita aliqua propriē dicta.
 Si illa Cornelij iustitia (ait eodem loco Augusti-
 nus) sufficeret ad capeſſendum regnum caelorum, ut
 ad Petrum mitteret non moneatur. Et iterum in
 eodem opere: *Quoniam quicquid boni in oratio-*
nibus & elemosynis habebat: Cornelius, prodesse illi
non poterat, nisi per vinculum Christianae societatis
& pacis incorporaretur Ecclesiae; iubetur mittere ad
Petrum, & per illum discit Christum, &c. Et rur-
 sum alibi: *Si posset sine fide Christi esse saluus*
Cornelius, non ad eum adificandum mitteretur ar-
chiepiscopus Apostolus Petrus. Erat igitur in Cor-
 nelio aliqua iustitia disponens, ex fide vnus
 veri Dei originem capiens, siue aliqua bona
 opera ad salutem praeſeparantia; sed non vn-
 de coram Deo iustificaretur, aut saluus fie-
 ret. Illa quoque eius opera respexit Deus,
 non vt propriē meritum, & causam simpli-
 citer necessariam vel efficacem vocationis
 ad fidem Euāgelicam, sed vt quasdam prae-
 parationes congruas, vel, vt aliqui Schola-
 stici

De Baptif.
 contra Do-
 natist. lib.
 4. cap. 21.

Lib. 1.
 cap. 8.

De praed.
 sanctor.
 cap. 7.



Itici loquitur, merita de congruo: quæ de facto Deum respicere, & veluti suæ bonitatis congruenter acceptare, (vt eorum interdum intuitu, quos prius sua gratia præuenerat, eos ad plenam nominis sui cognitionem, & ad fidem in mediatorem Christum, ipsamque salutem adipiscendam, homines adducat) hoc Cornelij exemplum aperte nos docet. Ait enim Angelus: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*, id est, Deus illas recordatus est, acceptauit, & gratas habuit. *Et nunc mitto viros in Ioppen*, &c. id est, nunc igitur (vt Beza verit) viam tibi salutis patefacio. *Mitte ad Simonem Petrum: hic dicet tibi quid te oporteat facere*; videlicet quibus saluus fias cum tota domo tua. Satis perspicue docet Angelus orationum Cornelij & eleemosynarum coram Deo acceptationem, aliquam causam fuisse quæ Dei bonitatem congruenter moueret, vt ad fidem & notitiam Christi perduceretur. Qua de re sic præclare Gregorius Magnus scribit: *Cornelius Centurio, cuius eleemosynæ ante baptismum Angelo testante laudatæ sunt, non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera*.

A& II.

In Ezechiel. lib.
1. homil.
19.

ibidē lib.
1. homil. 9

enim in Deum verè & ante baptismum non crederat, quid orabat vel quomodo hunc omnipotentem Deum exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici poterat? (vnde alibi idem Gregorius de hoc Cornelio scribit, quod bona opera pro fide persequenda faciebat) Sciebat igitur creatorem omnium

Deum

Deum: sed quod eius omnipotens filius incarnatus esse ignorabat. Neque enim poterat bona agere quae Deo placerent, nisi antè credidisset. Scriptum namque est, Sine fide impossibile est placere Deo, Fidem ergo habuit cuius operationes placere potuerunt: bona autem actione promeruit ut Deum perfectè cognosceret, & incarnationis eius mysterium crederet, quatenus ad Sacramentum baptismi perueniret. Per fidem ergo veni: ad opera, sed per opera est solidatus in fide. Hæc ille. Tantundem in hunc locum scribit Beda.

Falluntur egregiè hoc loco Calvinus, Beza, alijque hæretici, qui Cornelium Christi fide imbutum, & spiritus Christi participem, quum iam ei Angelus loqueretur, denique cultum veri Dei, quem soli Iudæi adorabāt, amplexum fuisse, ideòque aliquid de redemptore promisso audiuisse, & in eum venturum credidisse affirmant. Quæ ideo dicunt, ut nullam in Cornelio preparationem fieri cogantur, sed potius veram in eo ex fide iustitiam extitisse, quæ Deus hac missione ad Petrum auxerit, & ampliori Euangelij luce veluti mercede donauerit. Caterum Cornelium istum hominem Gentilem & Italum, nec Iudaica religione imbutum, nec profelytum eorum & aduenam fuisse, sed penitus incircuncisum, & per consequens de Messia nihil audiuisse, inuictum argumentum est, quod postea hoc Petri factum ceteri Iudæi Christiani facti tam ægrè tulerunt,

Cornelius
ab Angelo
admo-
nitus ad
huc fidem
Christum
non habuit

Infra cap.
11.

runt, vt expostulâtes cum Petro disceptauerint aduersus illum dicentes, *Quare intrasti ad viros præputium habentes?* Cornelius igitur præputium habuit, circumcisis non erat, Iudaico ritu (cuius principium circumcisio est) Deum non coluit, ideòque Messiam promissum, vt eius Spiritus particeps esset, expectare non potuit: maximè quum infra ver. 12. Calvinus dicat, *Gentiles, quamdiu in præputio manebant, alieni erant à Deo.* Aliqua-

De præd.
sanctor.
cap. 7.

men fide (vt loquitur Augustinus, docet etque Gregorius loco citato) ipsius veri Dei imbutus erat, sicut & multi alij Gentiles toto orbe dispersi, qui etiam ad ouile Dei pertinebant, vt docet S. Augustinus lib. 18. de

a. Cap. 47.
b. Cap. 9.

Ciuitate Dei^a, & de prædest. Sanctorum^b, & veluti de hoc genere hominum vocatur à Luca *vir religiosus & timens Deum*, quâ phrasim sæpe Lucas vsurpat, de ijs loquens qui ad fidem conuertebantur. Sed quia Euangelio Christi iam propagari cœpto, talis fides vnus Dei, vel etiam fides implicita de

A. cap.
13. 43. cap
16. 14. cap
17. 4. 17.

Mediatore, ad salutem nõ sufficiebat, vocatur à diuina misericordia Cornelius ad plenam Euangelij fidem & Christi noticiam explicitam. Atque hæc de prima Caluini accusatione.

Ad alteram criminationem Caluini, quod ex hoc loco colligunt Catholici, generaliter bona opera sic esse meritoria, vt singulis augeantur Dei gratia prout meriti sunt; respondeo ex hoc loco illud à Catholicis non

colligi

colligi, qui Cornelij orationes & eleemosynas non sic intelligunt vt augmenti gratiæ meritorias, sed vt ad primam gratiam præparatorias: quo in sensu Catholicorum sententiam hæc secunda criminatio prorsus inuertat priorem. Si enim præparationes ad fidem & salutem ex hoc loco colligunt Catholici, profectò augmentum fidei & salutis ex eodem loco non colligunt: quando illæ ad eos spectent qui in statu salutis adhuc non sunt, hoc ad eos pertineat qui in via salutis ambulant, & quotidianos progressus faciunt. Ad rem ipsam quod attinet, videlicet bona opera sic esse meritoria vt singulis augeantur Dei gratiæ prout meriti sunt, & ad hoc probandum istud Cornelij exemplum facere, ipsemet Calvinus, (qui, vt diximus, Cornelium, antequam ei Petrus loqueretur, vera fide veraque iustitia imbutum esse vult,) hoc ipso in loco contra seipsum rotundè affirmat, & accuratè docet his verbis: *Hanc causam assignat Angelus cur digne tur Cornelium Dominus plena Evangelij sui luce: quia prece eius exaudierit, & gratas habuerit eius eleemosynas. Vnde colligimus, virtutes & benefacta non tantum placere Deo, sed ornari etiam splendida hac mercede, quæ in eorum gratiam cumulat nos amplioribus donis, & locupletat, iuxta illud, Habenti dabitur: Item, Euge serue bone & fidelis: quia fidelis fuisti in paucis, supra multa te consueta. Sic enim continua*

Calvinus seipsum refutat.

Gratiæ augmentum eadem re submeiito Calvinus docet.

Calvinus ex sua purificatione refutatur.

Matt. 13. 12.

K 5 donorum

donorum suorum serie Dominus suos quasi certis gradibus euehit, de nec ad summum perducatur. Hæc Calvinus. Docet disertè, & ex Scripturis probat (tameñ posterior locus ad mercedem gloriæ, non gratiæ, pertineat) virtutes & beneficia hac splendida mercede ornari, vt in eorum gratiam amplioribus donis homines locupletentur. Atqui hæc ampliora dona quid aliud sunt quàm augmenta gratiarum? Illis quoque hominem locupletari & cumulari in virtutum & benefactorum gratiam, id est, propter ipsa beneficia, adeoque illis veluti splendida mercede ornari, quid aliud est, quàm bonis operibus per modum meriti augmenta gratiarum retribui? Mercedem enim merito correspondere, absque summa impudentia negari non potest: & alioqui de verbo est controuersia, non de re. Calvinus igitur ipsemet tam nostram doctrinam confirmat, quàm suam refutat. Sed istud in exordio tractationis huius loci more suo fecit, vel vt lectorem lactaret, vel quia hanc illi veritatem textus extorsit, iuxta sensum à se ipso confictum contra præparaciones ad gratiam à Catholicis assertas. Postmodum verò notat pro secundo Catholicorum errore, quòd bona opera augmentum gratiæ mereri doceamus, iuxta illam Augustini clarissimam doctrinam: *Cum fides impetrat iustificationem* (vt in hoc Cornelio opera fidei quæ faciebat) *non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani* (quia

Epist. 103.

(quia prima fides erat ex gratia;) sed ipsa gratia (ex eius recto usu) meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, (id est, magis ac magis augeri) comitante non ducente, pedisse qua non prava humana voluntate: quia videlicet ad singulos actus adiutorium gratiæ datur, & sola voluntas non meretur. Et hanc tam Augustini quam nostram immo omnium Catholicorum receptissimam doctrinam acriter hoc loco & prolixè impugnat. Expendemus paucis quæ adfert. Sunt enim perpetua & maxima causæ Calvinianæ contra merita operû firmaméta quæ hîc Calvinus adfert.

Quod ad secundû (inquit) errorem spectat, dum fingunt quemque nostrum, prout meritus est, augeri maioribus gratijs, non magno negotio refelli potest. Primum negamus quicquam bonorum operum nobis suppetere quod non Deus gratuitò in nos contulerit.

Respondeo, idem & à nobis negari, quatenus prævenit nos in misericordia & misericordiam: sed cum Augustino respondemus: Deus quum merita nostra coronat, sua dona coronat; quia omne meritum præcessit gratia. Pergit

Calvinus: Deinde rectum donorum Dei usum ab ipso quoque esse dicimus; atque hanc secundam esse eius gratiâ, quod rectè utimur prioribus eius donis.

Respondeo, in hac secunda gratia & recto usu donorum Dei aliquas esse partes nostras, quia in illis omnibus Deo cooperamur, sicuti in primo genere Deus sine nobis operatur, ut nuper ex Augustino ostendi-

Meritum augmenti gratiæ cõtra Calvini arguméta defenditur.

De grat. & lib. arb. cap. 8. &

Suprà ad cap. 9.

mus.

mus. Facit hæc cooperatio nostra, vt gratia in nos collata nostra fiat, & veluti nostras Deus illas remuneret; quod ipse Calvinus alicubi dissimulare non potuit. Postquam enim contra liberum arbitrium multa disputasset, hanc tandem moderationem subiunxit: *Sed tamen, vt inexhausta & multiplex Dei est beneficentia ac liberalitas, quas gratias in nos confert, quia nostras facit, perinde ac nostras virtutes remuneratur.* Nostras autem facit Deus gratias quas in nos confert, non quod illas veluti vasa vacua & bruta accipimus, sed quia illis vt creatura rationalis liberè cooperamur. Sic quippe & nostra opera fiunt, quæ Deus operatur in nobis. Sanè thesaurus in vase non est ipsius vasis, sed eius qui vas possidet. Si Deus gratiarum suarum thesauros nostros facit; si diffundit charitatem in cordibus nostris, vt illa charitas nostra sit, nobisque eam opere exerceamus, diligendo non verbo & lingua tantum, sed opere & veritate; si fides Dei donum in nobis est, vt illa fides nostra sit, nosq; & corde credamus ad iustitiam, & ore confiteamur ad salutem; profectò nõ veluti vasa bruta has Dei gratias accipiẽdo sic nostras fecimus, sed velu i rationalis creatura actu proprio intellectus & voluntatis nostræ illas gratias exercẽdo, eisq; cooperando, sic demum fecimus, vt nostræ virtutes & bona opera nostra sint, quæ vt faceremus nos, fecit in nobis Deus: iuxta illud,
Faci me

Instit. lib.
2. cap. 5.
num. 2.

Dei dona
sunt vir-
tutes no-
stræ.

Rom. 5.

1. Ioan. 3.

Rom. 10.

Faciam ut faciatis. Quando facimus opus gratiæ, tunc illud opus nostrum est, tamen est à gratiâ. Denique sic rectus usus donorum gratiæ & nosker est, quia nos illis rectè utimur; & Dei est, quia ex ipso & per ipsum, per adiutorium gratiæ eius, donis Dei rectè utimur. Dixit Paulus, *Non ego, sed gratia Dei* 1. Cor. 13. *mecum.* Ad quæ verba Augustinus: *Non quia ipse nihil boni agebat, sed quia nihil ageret si illa non adiuuaret.* Ter id (ait Calvinus) *egamus quicquam nos operibus mereri, quæ semper mutila sunt & vitiosa.* Respondeo: neque opera solius Dei mutila ac vitiosa esse possunt (opera autem piorum iusta & recta, iuxta Calvinum, sunt vnius Dei opera, qui totum in nobis operatur, nobis nihil cooperantibus & sic ipsa seipsam Caluini doctrina cõficit; neque opera filiorum Dei, quibus iuxta sanam doctrinam gratiæ diuinæ cooperatur, & quatenus cooperantur, vel ex vlllo peccato admixto vitiosa sunt, vel ex vlla imperfectione adiuncta sic mutila sunt, vt propterea mereri desinant: quando nec carnis vitiositas, sed regenerati spiritus nouitas cooperatur; nec plena perfectio (à qua illa defecit imperfectio) viatorum est, sed possessorum tantum; non in hac vita militantium, sed in altera vita triumphantium; vt clarè & copiosè contra Pelagianos docuit S. Augustinus.

1. Cor. 13.
Epiſt. 106

Calvinus
ex seipſo
refutatur.

Opera iu-
ſtorum non
ſunt ſic
mutila
aut vitio-
ſa vt non
mercan-
tur.

* Cont. 2.
epiſt. Pe-
lag. lib. 3.
cap. 7. de
peccator.
mer. & c.
lib. 2. cap.
13. & 15.

Pergit Calvinus, *Conſiliant quidè nobis bona opera*

opera gratia augmentum, sed non suo merito. Contra S. Augustinus: *Gratia meretur augeri, vult aucta mereatur perfici.* Sed suam sententiam probare vult Calvinus: *Accepta enim Deo esse nequeunt, nisi cum venia quam fidei beneficio impetrant. Quare sola est fides quæ præterit illis statui.* Primariū hoc est Calvinianæ sententiæ contra operum merita firmamentum, sed du-

Opera iustorum sine venia placet Deo. Philip. 4. 18. 1 Ioan. 3. 22. Fides veniam operibus non impetrat.

plici errore grauidū. Omnia iustorum opera bona, quæ verè talia sunt, sine venia accepta sunt Deo, & placet illi in odorem suavitatis, vt scriptura nos docet. Veniam verò beneficio solius fidei nulla opera impetrant, sed beneficio Christi & meritorū eius, non quatenus in Christum credimus, aut eo solo nomine (quod sibi stultissimè & impiè finxerunt hodie hæretici) sed quatenus credentes Deum per Christum humiliter pro venia inuocamus; quatenus credentes Deum diligimus, & eius mādata facimus. *Hoc modo (inquit Calvinus) quod Deum elemosynis suis ac precibus fauentem Cornelius habuit, ad iam ex fide pendebat.* Ex fide quidem, quatenus sine

Fides præterit operibus non adfert.

fide nulla bona opera placere possunt, sed non ex sola fide, vt sola fides illis præterit boni operis attulerit, quando & ex se ipsis suaque bonitate præterit quoque habuerint. Quare Angelus non fidem sed ipsa opera Cornelij Deo fuisse accepta pronunciat. Fructus laudauit, radicem tacuit: quia fructus laudari solent, non radix. Nam sine fructibus

ctibus radix esse potest, sine radice propria
 fructus esse nō possunt. Nec radix ad utili-
 tatē sed ad necessitatē facit. Necessaria est
 radix: fructus ipsos carpimus. Necessaria est
 fides, & sine ea impossibile est placere Deo: sed
 fructus bonorum operum placet in Deo in
 odorem suavitatis, & reddet unicuique Deus se-
 cundum opera sua. Præterea sicut opera æsti-
 mantur ex fide (sensu quo dictum est) sic
 & fides æstimatur ex operibus. Fides enim ex
 operibus consummatur (ait S. Iacobus) & sine
 operibus mortua est, sicut corpus sine spiritu mor-
 tuum est. Vnde sicut magis æstimatur corpus
 ex spiritu, quàm spiritus ex corpore, quum
 istud materiæ, ille formæ rationem habeat,
 sic magis æstimatur fides ex operibus, quàm
 opera ex fide: quum hoc nisi fundamenti
 necessitatem dicat, illa totius ædificij per-
 fectionem adferant. Vnde & in Euangelio,
 qui posuerat fundamentum fidei Christia-
 næ, sed bona opera non iuperædificauerat,
 omnium ludibrio exponitur dicentium:
Ecce hic homo cæpit ædificare, & non potuit perfec-
re. Quare vt D. Paulus opera Abrahæ alio-
 rumque veterum iustorum ex fide meritò
 æstimauit, sine qua placere Deo non pote-
 rât; sic vicissim D. Iacobus fidē Abrahæ ex
 operibus æstimauit, quibus eius fides cōsumma-
 ta est, & sine quibus eius fides inanis & mor-
 tua fuisset. Imò ipse Paulus sic fidē ex operi-
 bus æstimauit, vt verā in Christo iustifican-
 tem

Hebr. 11.

1. Ioan. 3.
22.
Rom. 2.

Iacob. 2.

Fides ex
operibus
magis
æstimatur
quàm
opera ex
fide.

Luc. 14.
30.

Hebr. 11.

Iac. 2.

Gal. 3. tem fidem, illam esse definiat *quæ per charitatem operatur.*

Pergit Calvinus: *Perrò si fide estimantur opera, indulgentiæ est, non meriti, quòd Deo probantur.* Vt demus antecedens, quod falsum esse docuimus; quomodo tamè, quod ex eo cõsequi vult, probet attendamus. *Nam quia nihil in nobis dignum inuenit fides cur Deo placeamus, à Christo mutuatur quod nobis deest: ergo si fide estimantur opera, indulgentiæ est, non meriti, quòd Deo probantur.* Nec antecedens vlla veritate subsistit, nec valet consequentia. Fidem à

Fides apprehēdes, spectrum hæreticorū hodiè.

Fides hæreticorū non omnia à Christo mutuatur quæ nobis desunt.

Christo mutuari quod nobis deest, spectrum est cerebri Calviniani & Lutherani, aliorumque nostri temporis hæreticorum, qui fidem definiunt promissionem Dei seu apprehensionem seu persuasionem. At talem fidem nec scripturæ docet, nec Ecclesia tradidit. Fides in Scripturis tradita, illa virtus diuina est, qua credimus Deo non promittenti tantum, sed & comminanti, aut quamlibet aliam veritatem reuelanti. Deinde si fides ista apprehēdes statuatur, non propterea omne mutuatur à Christo quod nobis deest, tum quia iuxta huius fidei figulos & architectos nihil aliud mutuatur præter mortem Christi, & beneficium redemptionis; tum quia in beneficio redēptionis non omnia continentur quæ nobis desunt, nisi tanquam in radice, seu principio, seu fonte generali; ideoque alia quàm plurima gratiarum

rum Dei dona adhuc nobis in particulari defunt, quibus Christi beneficio gaudeamus; ipsa in primis charitas, & tota mandatorum Dei observatio, sine qua Christi beneficium (utcumque & quomocumque fides illud apprehendat) nobis erit inutile.

Christus enim per passionem consummatus, factus Hebr. 9.
est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi: vt

obtemperare & obedire mandatis oporteat, si Christi mortem nobis esse volumus salutarem. Unde non sola fides, sed ipsa maxime charitas (unde proprie sumus filij adoptionis) beneficium mortis Christi nostrum facit, nobisque appropriat. Præterea, non quia nihil in nobis fides dignum inuenit, ideo omnia mutuatur à Christo, sed *ideo primum fides datur* (ait Augustinus) *vt ex ea impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur ex quibus iuste vivitur.*

De prædest. sanct. cap. 7.

Salutis exordium fides est. Ante acceptam fidem nullum opus Deo placet. Non propterea fides omnia à Christo mutuatur in sensu Caluini, vt soli fidei, & propter solam fidem, sine vilo operum merito, totum Christi beneficium à Deo tribuatur, sed propterea ex fide debent omnia bona opera veluti ex radice & fundamento proprio promanare, vt coram Deo ad salutem valeant. Sic antecedens Caluini propositio nulla veritate subsistit.

*Fides sola non iustificaret, tamen ex ea opera æstimantur.

Consequètia etiam inualida & vana est.

*Tamen si enim fide æstimarentur opera,

L non

non tamen sola fide, vt dictum est. Imò tametsi fides in sensu Caluini omnia à Christo mutuaretur quæ nobis desunt, id est, tametsi tota Christi iustitia, sanctitas, & redemptio pro nobis facta soli fidei imputaretur, solis (inquam) credentibus quatenus sic credunt, id est, quia sic apprehendunt, sibi que persuadent se per vnum Christum saluos fore (hic enim est Caluini sensus) non tamé sequitur, opera bona, etiam talis fidei, ex sola indulgentia & non ex merito Deo probari. Nihil enim impedit, quin & ipsa quoque opera, etiam talis fidei (si vera fides esset) augmentum gratiarum (de qua hic disputatur) adeoque ipsam salutem à Deo posset promereri: quando fides ipsa & obedientia fidei opus iustitiæ est, Deo gratum, acceptum, & meritorium, vt multa in Euangelio exempla nos docent. Sed & ideo vana est consequentia, quia nihil hoc totum ad fidem Cornelij, cuius opera Caluinus vult ex sola fide aestimari, & ex sola fide premium accipere, quando Cornelius adhuc in Christum nõ credebat, ideo à Christo mutuari non potuit quod illi deerat. Huiusmodi futilissimis argumentis primarium causæ Calvinianæ contra operum meritum firmamentum, primaria speculatio nititur.

Pergit Caluinus: *Est autem hoc plusquam peruersum, quòd quum nomen meriti subinde in ore*

ore habent Papista, & inani fiducia stultos inflare non desinunt, nihil tamen afferunt quo incitentur hominum studia ad agendum: semper enim in suspensio relinquunt hominum conscientias: placeant Deo nec ne opera dubitare iubent. Alia hac via est doctrinam de meritis operum taxandi, sed plane insulsa. Catholici sicuti docent iuxta Scripturas bonorum operum merita, sic pariter iuxta easdem docent non confidere in meritis suis, nec inani fiducia inflari; sed semper cum timore & tremore salutem suam operari, quia videlicet Deus operatur in illis & vellet & perficere, id est, quia tamen si bona opera verè multum mereantur coram Deo, tamen executio & perseverantia bonorum operum non à nobis aut à nostris viribus, sed à Dei gratia pendet, quæ in manu nostra non est, sed ab eius beneplacito expectanda. Hæc saluberrima doctrina meritis operum non aduersatur, sed necessaria & salubris est circa bonorum operum merita consideratio. Atqui ait Calvinus, sic in suspensio relinquuntur hominum conscientia, & dubitare iubentur placeantne sua bona opera Deo nec ne. Mentitur & fallit. Non iubentur dubitare, sed bene atq; optimè sperare, quòd placeant Deo opera ipsorum bona, ideoque viriliter agere & confortari, iuxta illud: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Et iterum: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* Vnde

Meritis operum timor bene operandi nihil præiudicat.

Philip. 2.

Conscientia Catholicorum non relinquuntur in suspensio.

Psal. 26.

Psal. 30.

L. 2 non

non in suspenso relinquuntur, sed in firmâ spe, quæ non confundit, stabiliuntur Catholicorum conscientia. At verò quia fiducia & certitudo Calviniana, id est, impia presumptio, Catholicis displicet, idcirco alterum extremum perpetuæ dubitationis illis impingitur. Hæ sunt Caluini artes.

Sed quid adhuc in eo sequatur videamus. *Vbi talis animi trepidatio occupat, an non desides & ignavos flaccescere necesse est? Cui respondeo:*

Si trepidatio de operum bonitate, vel, ut **Philip. 2.** Apostolus loquitur, *timor ac tremor circa salutis operationem*, ignavos ac desides facit; quâto magis tota bonitatis operum negatio, quam

Instit. lib. 3. cap. 17. num. 3. Calvinus statuit, (affirmat *omnia iustorum opera bona magis probrum quam laudem perpetuo mereri, & peccatis magis quam virtutibus accensenda esse*) desides & ignavos omnes Calvinistas necessariò faciet! Sed ut hanc terripiam suam sententiam tegat hoc loco Calvinus, ita prosequitur, totamq; tandem disputationem concludit: *Nos verò, & si meritum operibus detrahimus, tamen docemus repositam esse illis mercedem, optimo stimulo incitamus ad rectè vivendi studium homines. Tunc enim demum alacriter ad serviendum Deo nos accingimus, quum*

Calvinus suis repugnantijs lectorem ludibricat. *persuasi sumus operam nos minimè ludere. Vide fraudulentam impostoris artem. Ait se docere repositam bonis operibus mercedem, tamen meritum illis detrahit. Sic alibi eadem arte usus: Nos nulla meriti mentione, singulari tamen*

conson

consolatione, fidelium animos nostra doctrina erigimus, dum eos docemus in suis operibus Deo placere, indubieque acceptos esse. Vtrobique vel pugnantia loquitur, vel verbis lectorem iudificat. Si enim merces bonis operibus reponitur, ergo meritum illis detrahi non potest, quod mercedi necessario respondet. Sic gratiam à mercede distinguit Apostolus, ut in mercede debitum ponat, gratiam solam neget. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, supple, solam & puram, sed secundum debitum*: quia videlicet operanti merces veluti debita, & (ut alibi loquitur) veluti *iusto iudice redditur*. Si ergo merces ut debita redditur, & per modum iustitiæ; opus illud, cui redditur, non puræ & solius gratiæ, sed etiam meriti vim ac rationem habebit. Nemini enim merces debetur, nisi quam aliquo opere promeretur. *Dignus est operarius mercede sua*. Denique non alio sensu merita operum prædicant Catholici, quam quia merces iusta à iusto iudice illis retribuitur. Si (ut loco posteriùs citato Calvinus scribit) *non est cur unciam nobis in bonis operibus vendicemus*; quomodo nunc repositam esse illis mercedem agnoscit? Merces quippe debiti rationem habet, iuxta Apostolum; ideoque eam sibi opera bona vendicant. Hæc igitur una & manifesta doctrinæ Calvinianæ repugnantia. Sequitur altera. Ait se docere *fideles, in suis operibus Deo placere, indubieque ac-*

Institut. lib. 3. c. 15 num. 7.

Mercedi meritum necessario respondet.

Rom. 4.

2. Tim. 4.

Matth. 10.

Alia Calviniani repugnantia.

L. 3

cepta

reptos esse. Quomodo igitur eodem in libro paulò post dixit, opera seruorum Christi probrium magis quam laudem perpetuò mereri, & omnia fidelium opera imperfectione inquinata peccatis magis quam virtutibus accensenda fore, nisi ea Deus cum venia susciperet, non imputata imperfectione illa qua inquinantur? Quomodo Deo indubiè placent quæ probrium merentur, non laudem? An Dei iudiciùm secundum veritatem non est? Si secundum veritatem est eius iudiciùm, quomodo indubiè accepta habet, quæ indubiè acceptanda nō sunt, quia probrium meretur magis quam acceptationem? Quomodo mercedem operibus reponit Deus, quæ non nisi cum venia suscipit? Venia peccatis datur, merces virtuti rependitur. Aut igitur operibus iustorum bonis nulla merces rependitur, aut falsum est, illa, quatenus talia, cum venia suscipi, & peccatis magis quam virtutibus accensenda esse. Alia igitur hæc repugnantia est.

Sed vide nunc vt lectorem suum ludificet. Ait se optimo stimulo homines ad bene viuendum incitare, quia docet repositam esse bonis operibus mercedem. At quæ tandem hæc merces est? An vita æterna, de qua Christus dixit, Merces vestra copiosa est in caelis? an augmentum gratiarum, de quo dictum est, Habenti dabitur? Nihil minùs. Alacriter (inquit) ad seruendum Deo nos accingimus, quum persuasi sumus operam nos minimè ludere. In qua phrasi lectorem

Alia Caluini ludificatio.

Matth. 5.

Matt. 25.

rem ille mirè ludificat. Longè quippe aliud, diuersum, excellentius, & ad bonorù operum stimulum excitandum fortius & accommodatius est, bonis operibus *iustam mercedem, copiosam, & aeternum gloriae pondus* retribui, vt Scripturæ loquuntur; quàm, vt iste impostor loquitur, *operam minimè ludere?* Deus Pater vocans in vineam suam operarios, non dicit illis, Operam minimè ludetis; sed ait, *Quod iustum est, dabo vobis;* & conuenit cum eis *de denario diurno*, id est, de vita aeterna retribuenda. Rogo Caluinistas omnes, an ad labores & operas conducendi pro eodem habeant, si dominus & conductor dicat, Dabo tibi iustam mercedem, talem ac talem; vel si dicat, Operam minimè ludes. Sanè qui sic se conducì pateretur, aut qui tam simplici promissione proposita alacriter ad seruiendù domino conductori se accingeret, Caluinistarum neminem esse existimo. Atqui perpetua hæc est Caluini phrasis, vt veri nominis mercedem à Deo promissam eludat. Sic ad illa Christi verba, *Reddet unicuique iuxta opera sua*, ita scribit: *Animantur fideles ad rectè agendi studium, dum certi sunt se operam non ludere.* Sic ad alia Christi verba, *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam*, eodem modo lectorem ludificat: *Ne fatigemur bene agendo, pronuncia: Christus non irritum fore eorum laborem, qui se fideliter in sua vocatione exeruerint.* Et iterù: *Con-*

2. Tim. 4.
Matth. 5.
2. Cor. 4.

Matth. 20.

Mercedē bonorum operum qua arte Caluinus eludit. In Harm. ad Matth. 16 ver. 27. cap. 25. ver. 21. & 33.



capienda est bonis alacritas, quia intelligunt se minime operam ludere. Sic ad alia rursum Christi verba de separatione iustorum, Huc, inquit, tendit Christi sermo, ut sciant fideles pie & innocenter viuendo se operam non ludere, quia tandem apparebit discrimen. Et paulò post: Est non vulgari exhortatio ad patientiam, dum certò persuasi sunt homines non frustra se tendere. Ad quas eius iudificationes vide quæ in Antidotis nostris Euangelicis ad eadem Christi verba diximus. In hac refutanda Caluini disputatione prolixior fui, quia contra merita operum primaria hæc est, perpetua, & millies repetita Caluini & aliorum speculatio.

Ad Matth
c. 16 v. 27.
& cap. 25.
vers. 21.

34. *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gēte, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.*

Acceptio
personarū
quæ non
cedit in
Deum.

NON loquitur hîc Beatus Petrus de illa acceptione personarum quæ vitium est, & iustitiæ opponitur, quasi aliquando cogitauerit Deum duobus similiter promerentibus similiter nō retribuere; sed loquitur de illa acceptione personarum quæ ad electionem & optionem gratuitam pertinet, quia Iudæi, sub quorū persona, & propter quos astantes ista loquitur Petrus, semper existimauerant Deū sic solum populum Iudæorum præ alijs omnibus gentibus elegisse, ut sicut olim soli Iudæi, aut eorū profelyti, ad Synagogam pertinebant; sic & nunc

nunc soli Iudæi, aut eorum profelyti, ad Ecclesiam pertinerent, & ad redemptionis per Christum participationem (cæteris omnibus neglectis) vocandi essent. Dicit igitur Petrus ad instructionem astantium Iudæorum, & ad consolationem Gentilium, *se iam in veritate comperisse*, id est, manifestis argumētis tam factę sibi reuelationis, quàm factę Cornelio Euangelicę admonitionis, deprehendisse, quòd ad sui nominis cultum & gratiam non solos Iudæos, veluti personas singulariter electas, Deus vocaturus erat; sed contrà, *quòd ex omni gente & populo, siue Iudæo, siue Græco, quicumque timent Deum, & operantur iustitiam* (quibus verbis vtriusque tabulę perfectio, & vtraque Dei ac proximi dilectio continetur) *accepti sunt illi*; id est, apti & idonei sunt ad beneficium gratiæ Christi percipiendum, videlicet remissionem peccatorum, iustificationem, & salutem. Notandum autem quòd duo dicat. Vnum est, non esse Deum personarum acceptorem, quia tam Gentes quàm Iudæos ad salutem vocat. Alterum est, eos vocari *qui timent Deum, & operantur iustitiam*; quod non est sic intelligendum, quasi non alios vocet, quum innumeri peccatores flagitiosi & scelerati, qui nec Deum antè timuerunt, nec vllam operati sunt iustitiam, ex pura Dei misericordia ad salutem vocentur; neque sic intelligendū, quasi timentes Deum,

Operātes
iustitiam
ad fidem
vocati,
quo sen-
su verum.

L 5 & iusti-

& iustitiã operantes, vel ex eorum operum merito vocentur, vel sine fide & speciali Dei gratia Deum timuerunt, ac iustitiam operati fuerunt: sed obseruans Petrus duo, vnum, vocari Gêtes ad fidem; alterum, vocari istum Cornelium hominem timentem Deum, & operantem iustitiam; vtrumque pronunciat: prius quasi cum admiratione ad instructionem Iudæorum astantium, posterius per modum exhortationis. Neque enim de posteriori isto Iudæi ipsi bene instructi vnquam dubitauerunt. In istis igitur duobus Petri dictis duo notanda sunt. Pri-

Pelagij error circa acceptio- nem personarum in Deo. Epist. 105.

um est Pelagij error, qui propter gratuitam electionem, qua Deus hunc trahit, illum non trahit, Deum esse personarum acceptorem clamitabat, vt his verbis docet Augustinus: *Quod personarum acceptorem Deum esse credere existimât, si credant quod sine vllis precedentibus meritis, cuius vult miseretur, & quod dignatur vocat, & quem vult religiosum facit; parum attendunt quod debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato.* Hæc ille. Docet, Pelagium hoc sensu Deum acceptorem personarum existimasse, quod præueniētē congruam gratiam, quam illi negabant, Deus quibusdam daret. Vnde postea ibidem de illis dicit: *Ita se fatentur ad habendam seu faciendam iustitiam diuinitus adiuuari, vt sui præcedat aliquid meriti; quasi priores volentes dare, vt retribuatur illis, &c.* Propter hanc igitur præuen-

nientem gratiam, à Pelagianis propriè negatam; & quæ maximè propriè gratuita est, prorsusque indebita, acceptorem personarum esse Deum illi impiè admodum existimabant. Et hoc sensu negat iam Petrus acceptorem personarum esse Deum; non quidem respectu cuiuslibet personæ, vt Pelagiani, (quum etiam stante Synagoga multi particulares Gentiles Iudæorum profelytiferent, & in fœdus populi Dei adsciscerentur) sed tantum respectu totius populi Iudaici seu circumcisi, & totius gentilitatis toto orbe dispersæ, non circumcisæ.

Alterum hoc loco notandum contra horum temporum hæreticos est, affirmari & doceri hic à Petro acceptos esse Deo, ad salutem videlicet consequendam, eos qui timent Deum, & operantur iustitiam, id est, qui ex præuenienti & speciali Dei gratia vtrumque præstant, tametsi nondum iustificati, nec primam gratiam adepti, quæ remissio peccatorum per Christi sanguinem est: quod propter Cornelium dicit Petrus, qui Christi fidem adhuc penitus ignorans, vir erat *religiosus, & timens Deum, orationes & elemosynas faciebat, quæ Deo acceptæ essent*, & ita acceptæ, vt eorum non quidem merito aut debito, sed intuitu & consideratione benigna, diuinæque misericordiæ congrua, veluti præparatione & dispositione commoda, ab Angelo visitaretur, ad Petrum mitteretur, ad

Præparationes ad primam iustificationem probatur.

tur, ad Christi fidem adducetur. Nempe ut gratiam præuenientem nullum meritum, adeoque nulla ex parte nostra dispositio præcedit, ita gratiam iustificantem aliqua semper in adultis hominis præparatio præcedere debet, sed sensu iam dicto. Quam quidem præparationē, à quibusdam Scholasticis *meritum de congruo* vocatam, Augustinus contra Pelagianos veluti Pelagianam aliquam sententiam (ut volunt hodie hæretici) nunquam refutauit aut damnauit, ut doctè & rectè ex varijs Augustini locis ostendit Andreas Vega. Tamen si enim Deus bono vsui liberi arbitrij præuiso alligatus non fuerit, ut eo ab æternitate præscito debuerit propterea ad iustificantem gratiam vocare quos præuenienti sua gratia rectè vsuros præuidebat, sed potuit stante illa præuisione, salua iustitia, eos non vocare; tamen ad huiusmodi multa Deum pro suæ bonitatis æquitate de facto respexisse, tū alia Scripturæ docent, ut suis in locis annotauimus, tum hoc loco D. Petrus affirmat. Quod totum (vri dixi) cōtra hæreticos notandum est, qui propter huiusmodi doctrinam, consolatione plenam, hunc locum variè contaminant.

De iustificat. lib. 8. cap. 12.

Bullingeri fœda corruptela.

Primum, quod de Dei timore & operatione iustitiæ Petrus dixit, magna cum impudentia ad solam fidem trahunt. Sic hoc loco Bullingerus. *Sunt, inquit, timere Deum, & opera.*

Operari iustitiam, effectus fidei, quos posuit Petrus pro ipsa fide & causa, & est simplex huius loci sensus, sine delectu personarum omnes gentes gratas esse Deo propter fidem quã in eum habent. An non hæc pulchra est hæreticorum Theologia?

Quia ponitur sæpe in Scripturis causa pro effectu, veluti nobilius pro eo quod ignobilius est, vt meritò tribuatur causæ quicquid tribuitur effectui, causæ, inquam, propriæ & adæquatæ, ideo vicissim colligunt effectum poni pro causa, & illud tribui effectui quod debetur causæ, causæ quoque nec propriæ, nec adæquatæ, sed impropriæ & partiali: Neque enim operum bonorum fides causa propria est, sed gratia Dei & voluntas operantis. Nec rationem causæ impropriæ, quatenus velut radix & principium est (quæ non est causa propria, vt efficiens ac formalis causa sunt) plenam & adæquatam habet, sed partialem tantum, idque inter partiales causas inferiorem: principium enim, radix, & origo omnium bonorum operum charitas est nõ secus quàm fides, imò magis charitas quàm fides. Fides enim per charitatem operatur, non charitas per fidem. Fides fit operatoria, actiuosa, viua beneficio charitatis, quæ format eam, & in actum educit. Charitas non fit operosa beneficio fidei, quasi eam informantis, aut in actum educentis, sed in fide fundatur, & ex fide operatur. Denique quum fides intellectum purificet & dirigat,

Charitas & fidei collatio.

dirigat, charitas verò voluntatem accendat & inflammet; quis non videt operis boni potiore causam esse charitatem quàm fidem? Aut quis dubitat operationum principium esse voluntatē, sicut speculationum principium intellectus est? An fortè propter hæreticorum placita etiam ipsum rationis humanæ lumen extinguendum est? Vide ergo quot modis hæc explicatio fallax & absurda est. Nec effectui tribui solet quod causa debetur, quum latius hæc pateat, nobiliorque existat quàm effectus; nec bonorum operum causa aut propria, aut adæquata fides est, sed partialis tantum & impropria: vt ei propterea tribui nō debeat, quod bonis operibus tribuitur. Deinde, iuxta hæc pulchram explicationem, quoties in Scripturis vel iubentur vel commendantur opera bona, toties non illa sed illorum nomine fides iubetur & commendatur. Inuenta est ratio omnem Christi doctrinam de pietate in Deum, & iustitia erga proximum, vno fidei verbo euacuandi. *Beati pauperes spiritu*, id est, qui credunt. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, id est, qui fidem appetunt. *Beati pacifici*, id est, credentes. *Beati mundo corde*, id est, qui fidem in corde habent. *Beati misericordes*, id est, credentes. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, id est, fidem habere. *Possidete regnum; Esurii enim, & dedistis mihi manducare*, id est, credidistis enim in me.

Et in-

Corrupte
hæretice
ca: varia
impietas.

Matth. 5.

Matth. 19.

Matth. 23.

Et innumera in vno Euangelio alia. Dixit quoque Apostolus: *Tria sunt hæc, fides, spes, i. Cor. 13. charitas.* Non est ita, ait Bullingerus: Vna fides hæc omnia sunt. Addidit Apostolus: *Maior horum charitas.* Contra hæreticus: Maior horum fides, & adeò maior, vt hæc omnia non sint nisi fides, quia effectus ponuntur pro causa. Talis est Bullingeri hoc loco explicatio quum dicit, *Qui timent Deum, & operantur iustitiam, accepti sunt Deo: id est, propter fidem grati sunt Deo.* An hac explanatione aliquid magis portentosum aut impium dici potuit? Eam tamen Marloratus omittere noluit, vt dignum esset patella operculum.

Non ita crasse hoc loco Calvinus, sed vafre admodum & astute, in summa tamen non minus impie. Questionem proponit, *an opera bona Dei fauorem concilient.* Respondet cum distinctione, *duplicem esse Dei respectum in hominibus diligendis, Priorem, qua homines impios reconciliat, qua prorsus gratuita est, nulla habita operum ratione.* Quod verum est si rationis nomine meritum intelligamus, verum nõ est si eodem nomine preparationem & dispositionem accipimus: qua de re nuper satis diximus. *Posteriorem Dei respectum ponit in illis diligendis, quos iam sibi Deus adoptauit, & Spiritu suo regenerauit. Horum bona opera dicit Deo esse accepta & gratia.* Rectè hoc totum. Sed, inquit, *hic aliud queritur, proueniãtne homo Dei gratiam*

Caluini
astuta &
vafa cor-
ruptela.

gratiam suis meritis, seque in eius amorem insinuet,
an verò quum tantum odio dignus sit, gratis initio
& sine operum respectu ametur. Mentitur ac fal-

Quaestio-
nem sibi
fingit Cal-
vinus à
praesenti
loco alie-
nam.

lit. Hoc isto loco non quaeritur. De prae-
niente hac Dei gratia Petrus non loqueba-
tur quum diceret: *Ex omni gente, qui timet Deum,*
& operatur iustitiam, acceptus est illi. Talem
quippe Deus iam sua gratia praevenerit. Nec
timere Deum, & operari iustitiam, aliquis
potest, vel Cornelius potuit, sine praevenerit
Dei gratia. Vnde de hoc Cornelio Augu-
stinus: *Quidquid & antequam in Christum crede-*

De prae-
dest. sancti
cap. 7.

ret, & cum crederet, & cum credidisset, bene ope-

ratus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne forte

quis extollatur. Habuit igitur Cornelius,

quum Deum timeret, ac iustitiam operare-

tur, hanc praevenerit Dei gratiam. De

eo autem iam timete & operante iustitiam

ait Petrus, quod acceptus erat Deo. Quari-

tur igitur quomodo tanquam vir timens

Deum, & operator iustitiae, antequam in

Christum credidisset, sic acceptus erat Deo,

ut singulari Dei vocatione ad fidem Christi

tanquam talis adduceretur. Haec est huius

loci propria quaestio, quam in superioribus

fatis (nisi fallor) discussimus. Hanc veram

& propriam huius loci quaestionem fugit

Calvinus, & aliam fingit, ut aliquid aliud

disputans, prorsusque extra chorum salti-

tans, ad rem praesentem disputasse videa-

tur. Mox enim multis repetit, *fidelium opera*

bona

Loci praesentis propria quaestio.

*bona placere quidem Deo, sed ex fidei tantum ratione, quæ à Christo mutuatur quod operibus deest, non ex ipsorum operum aliqua dignitate & merito. Quam eius futilem euasione, perpetuam Caluini cantilenam, in præcedentibus refutatam dedimus. Pauca tamen hîc addimus. Primum, fidem à Christo mutuari quod operibus deest, spectrum esse cerebri Lutherani, Calviniani, profanam vocis nouitatem, doctrinam denique & traditionem hominum ab hæreticis hodie adiuuentam, in nulla Scriptura traditam, in Ecclesia Dei hæctenus inauditam. Deinde & illud addimus: Quod operibus nostris deest, duplicem sensum legimum habere potest. Primum, ut hoc nomine operum bonorum imperfectio quædã intelligatur, quatenus ex perfecta Dei dilectione non promanant, aut cum aliquo veniali peccato coniuncta sunt. Secundò, eius, quod fieri à nobis conueniebat, omisio & neglectio, non affectata, sed ex fragilitate nata. Neutrum horum fides à Christo mutuatur, in sensu Caluini, id est, sola fides, seu fiducia ac persuasio diuinæ beneuolentiæ. Vtraque sanè ex Dei per Christum indulgentia pijs ignoscitur. Quod aduertens August. scripsit: *Tunc omnia mandata implentur, quando quicquid non fit* (per negligentiam venialem, vel imperfectionem infirmam) *ignoscitur*. Hæc ignoscentia, hæc venia, hæc misericordia à Deo per Christum, id quod*

Fidem à Christo mutuari quod operibus deest, vanum & profanum

Retract. lib. 1. cap. 19.

M operibus

operibus nostris deest, supplet. Nec id sola fide mediâte, sed maxime illa fidelium omnium oratione interueniente, *Dimitte nobis debita nostra*. Vnde alibi August. ait: *Quum hæc oratio exauditur, iustificamur*. Et alibi hanc ipsam ob causam ait, *ipsa Dei mandata pertinere ad orationem Dominicam, qua dicimus, Dimitte nobis debita nostra*. Atqui hæc oratio Domini-

Cont. Iu-
lianum
lib. 2.
Cont. 2.
Epist. Pe-
lag. lib. 3.
cap. 7.

ca dilectionem proximi necessario requirit. Vnde additur conditio: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Ita vt suppleatur per veniam quod operibus nostris deest, dilectio proximi inprimis requiritur. Vnde de

1. Pet. 1.

hac dixit Petrus: *Charitas operis multitudinem peccatorum*. Adeò falsum ac prophanum est, solam fidem mutuari à Christo quod operibus nostris deest, idque manendo in eius propositionis legitimo sensu. Alium quippe planè Satanicum sensum his verbis coquit Calvinus, *id quod operibus nostris deest*, id est, vniuersam legis obseruationem, quæ nobis impossibilis est, fidem à Christo mutuari, quia ille pro nobis totam legem impleuit, & nos eius iustitiam fide apprehendentes, ab eo mutuumur quod nobis deest, vt omnis nostra legis transgressio per illam iustitiam regatur, idque solius fidei beneficio. Contra quæ portenta alibi disputauimus. Vafes

Caluini
vafities.

Calvinus maluit aliò disputationem conuertere, quam rem præsentem tractare, in qua præparationes ad primam iustificatio-
nis gra-

nis gratiam manifestè doceri satis oculatè
perspiciebat. Manet interea firmum, bona
quædam ex fide & gratia Dei opera, vt ora-
tiones, eleemosynas, iustitiæ actiones, ante
acceptam iustificantem gratiam, ante adop-
tionè in numerû filiorum Dei, accepta Deo
esse & grata, non quidè ad meritû, & ad reg-
nû calorû capessendû, sed ad legitimam
& congruam subiecti dispositionem ac præ-
parationem, quam Deus non ex debito, sed
ex suæ bonitatis & misericordiæ largitate,
ad huiusmodi finem acceptat.

37. Post baptismum quod predicavit Ioannes.

Temperare hîc sibi Calvinus non po-
tuit, quin Catholicæ & orthodoxæ do-
ctrinæ vnum ex multis, quos ad extremam
vsque ætatem in malè sano suo capite radi-
citus infixos tenebat, caninum dentem in-
figeret. *Admonet* (inquit) *Petrus, Ioannis bap-
tisma non fuisse mutum signum, quum dicit, Ioannem
baptismum predicasse. Ecce de hoc in Sacramentis
omnibus caput est, vt Dei verbum illic insculptum
refuget, & clara vox personet. Quo magis dete-
standa est impia profanatio quæ in Papatu cernitur,
quod sepulta prædicatione Sacramenti a magico tan-
tùm murmure in cantant.* Hæc canis ille, cuius
latratum in Antidotis nostris Euangelicis
côpescuimus, vt hîc nihil reperere sit opus.
Ostendimus eo in loco, verè detestandam
esse impiam Calvinii blasphemiam, qui ver-

Calvini
blasphe-
mia in ba-
ptismi for-
mam à
Christo
instituta.
Ad Marc.
cap. i. ver.
4.



bi Euangelici iuxta Christi institutum in baptismi Sacramēto pronunciationem, quæ formæ eius Sacramenti est, magicæ incantationis inculcat. Ostendimus prædicationem

A
c. 28. v. 19.

verbi, quam fingit sibi Calvinus, cum verbo Euangelico Sacramentis proprio nihil habere cōmune de quo & infra aliquid dicendum erit. Ostendimus denique Ioannis

Ad Marc.
cap. 1. v. 4.

baptismum non ita fuisse cum prædicatione coniunctum, ut ipsa prædicatione verbi pars ac forma aliqua esset ipsius baptismi: sed eo tantum sensu prædicasse baptismum, quod non solum multos baptizauerat, sed etiam ad baptismum præmissa prædicatione multos exhorratu fuerat. Ostendimus postremo alio in loco, baptismum Ioannis, unde hanc prædicationem verbi baptismi Christi necessariam probare Calvinus vult, à baptismi Christi toto genere diuersum fuisse.

In Prom.
Cathol.
Dom. 2.
Aductus.

Ex quibus omnibus importuna ista & rabida in totam Christi Ecclesiam calumnia factis superq; resurata & reiecta videri potest.

43. *Huic omnes Propheta testimoniū perhibent.*

PRæclarum hinc aliquid ex Brētio *Expositioni* suæ, ut vocat, *Catholica & Ecclesiastica* inferere voluit Marloratus, quod huiusmodi est: *Hoc (inquit Brentius) verè est allegare testimonium vniuersalis Ecclesie. Sunt enim multi, qui cõtati testimonium Ecclesie, nescio quos mores aut opiniones in Hispania, Gallia, Italia, inque aliis locis*

Brentij
inepta
cauillatio.

locis sibi consentientes commemorant. At hoc nondum est cōsensus vniuersalis Ecclesiæ, quod Hispani, Galli, & Itali vno ore comprobant, sed quod Prophetæ & Apostoli sentiunt. Hæc ille. Homo nasutus, quia Prophetarum testimonium Petrus allegauit, pulchrum sibi nactus argumentum videtur vniuersalis Ecclesiæ testimonium eludendi: quod veluti pulchrum & obseruatione dignum Marloratus prætermittere noluit. Sed vtriusque ineptiam paucis ostendam. Primum, B. Petrus vniuersalis Ecclesiæ Christianæ testimonium in ipso Ecclesiæ exordio vix adhuc Iudææ fines egresso allegare non potuit. Deinde, si vt veteri populo Prophetas, sic nouo populo non solum Apostolos, Euangelistas, Prophetas, ad prima Ecclesiæ fundamenta toto orbe ponenda, sed etiam Pastores & Doctores Deus dedit, idque ad perpetuam Ecclesiæ suæ edificationem, *donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis Filij Dei*; quare non liceat, imò quis non videt necessarium esse, nō secus nunc diffusa semel per orbem Ecclesia, Pastorum & Doctorum, qui eam toto orbe collegerunt, ædificauerunt, plantauerunt, rigauerunt, pauerunt, docuerunt, rexerunt, veluti vniuersalis Ecclesiæ testimonium & consensum, de Christo Christi- que doctrina allegare, quàm Petrus hic Prophetarum testimonium allegauit? Quod enim veteri populo Propheta fuerunt, hoc

Ecclesiæ
vniuersa-
lis testi-
monium
quale &
quantum
valet.

Ephes. 4.

M 3 nobis

A& 20

nobis sunt Pastores, & Doctores, quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam suam. Quare hæc Petri allegatio vniuersalis Ecclesiæ testimoniū adeo non infirmat, quod istis stolidis hæreticis visum est, vt illud maxime confirmet atque corroboret. Quare S. Augustinus sagacissimus doctor disertè profitetur, se in Christum credidisse propter totius orbis consensionem. *Quibus (inquit) testibus & docentibus de Christo crediderim, nullis me video credidisse, nisi populorum atque gentium confirmata opinioni, ac sumæ admodum celeberrimæ.*

De utilitat. cred. cap. 14.

hos autem populos Ecclesiæ Catholica mysteria viquequaque occupasse. Nec de sua tantum fide ita loquitur, sed hominem hæreticum, atque à fide Catholica alienum, ex hac vniuersalis Ecclesiæ contempta consensione veluti definit.

De unit. Eccles. cap. 4.

Quicumque (inquit) ab Ecclesiâ ita dissentiunt, vt eorum communicatio non sit cum toto, quantumcumque diffundatur, vel in aliqua parte separata inueniatur, manifestum est, eos non esse in Catholica Ecclesiâ. Quare Optatus Augustino cõtemporaneus, vniuersalis Ecclesiæ testimoniū, cõsensum, & fidem (quam à solis Prophetarum & Apostolorum testimonijs petendam esse bonus Brentius suadere vult) ex locorum & prouinciarum (vbi Christiana fides vigeat) consensione colligit. Cùm enim varias gentes Christiani orbis enumerasset, tres Pannonias, Thraciam,

Lib. 2. contra Pamenian.

Daciam, Mysiam, Achaiam, Macedoniam,

totam

totam Græciam, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Pamphylia, Phrygiam, Cilicia, tres Syrias, duas Armenias, Aegyptum, Mesopotamiam, in quibus Donatistæ non erant (vt in Italia, & alijs Europæ partibus, quas ideo non commemorat) Catholici autem erant, non secus quàm in illis alijs prouincijs pars Donatistarum erat; paulò post hunc in modum concludit: *Cum manifestum sit, & ipsa luce clarius, nos cum tot innumerabilibus populis esse, & tot prouincias nobiscum esse, iam videtis, vos in parte vnus aut alterius regionis positos, & ab Ecclesia vestris erroribus separatos, frustra vobis solis hoc nomē Ecclesie cum suis dotibus vendicare.* Hæc ille. Hoc est ergo vniuersalis Ecclesie testimonium iuxta hos doctissimos Patres. Addeamus adhuc alios. Athanasius, doctissimus & exercitatissimus Arianorum Antagonista, ceterique Episcopi Aegypti, Thebaidis, & Libyæ in vnū congregati, ad Imperatorem Iouinianum pro Nicænâ fidei defensione scribêtes, eumque ad eam amplectendâ hortâtes, hoc vniuersalis Ecclesie testimonium nec à veterum Prophetarum nec ab Apostolorum scriptis, sed à plurimorum orbis Christiani prouinciarum consentiente sententia, hunc in modum & his verbis deducunt: *Dedimus operam necessario, vt fides in Concilio Nicæno roborata tue pietati traderetur; quo ipse intelligas, quanto in errore versentur hi qui fidem cōtrariam doceant.*

Apud
Theodo-
ret. Eccle-
siast. hist.
lib. 4. c. 3.

M 4 Nam

Nam pro certo scias velimus, *Auguste sanctissime*, hanc ipsam ab omni seculorum memoria predicatam fuisse. Hanc confirmarunt sancti Patres *Nicaea* coacti. Huic omnes ubique Ecclesiae assensu sunt, ut *Hispania, Britannia, Gallia, Italia totius, Dalmatiae, Mysia, Macedonia, & cuncta Graecia, & omnes Ecclesiae Africa, Sardinia, Cyprus, Creta, Pamphylia, Lycia, Isauria, & Ecclesiae Aegypti, Libya, Ponti, Cappadociae, & regionum finitimarum, Orientis denique Ecclesiae, exceptis paucis quae sectae fuerunt Arianae.* Na istarum omnium re ipsa exploratae cognitae habemus sententiam, literasque ab illis accepimus; proque certo scimus, *Auguste sanctissime*, quod quamvis pauci huic fidei contradicant, non tamen praedictum inde potest orbi terra fieri uniuerso. Hae Athanasius cum caeteris Episcopis. Hoc est uniuersalis Ecclesiae testimonium, quod a Pastorum & populorum Christianorum consensu peti, ita ueluti rem nouam, insolitam, atque absurdam bonus Brentius demiratus est. Plura lector videre potest in opere nostro de principijs fidei.

Lib. 4. c. 3.

Addit adhuc hoc loco Brentius (quasi in una sententia semel insanire parum fuisset) aliud non minus crassum & apertum delirium. Locus, inquit, hic facit aduersus *Iudeos, Turcas, & Papistas, qui alibi quam in Christi nomine peccatorum veniam quaerunt.* De quo nomine vide supra 4. v. 12. Atqui eodem capite & versu supra tam contra Caluinum quam contra Bullin-

Brentij pu-
ticia ca-
sumnia.

Bullingerum, quos in medium produxit Marloratus, hanc puridam calumniam absterimus, & Catholicos non nisi in Christi nomine salutem querere contra insulsa & puerilia eorum cauilla breuiter sed perspicue ostendimus. Quid autem hos haereticos dicere aut mentiri pudebit, quos tam foede & crasse mentiri non pudet, ut scribant negari à Catholicis Christum esse humani generis Mediatorem, quemadmodum Iudaei & Turcae negant, quibus in hac parte Catholicos veluti in scelere pares coniungunt & copulant? Alibi quippe quam in Christi nomine peccatorum veniam Catholicos querere, aut nesciunt isti noui sectarij, aut nescire se fingunt. Interim hoc impudente & effroni mentiendi audacia simplices & imperitos ita dementarunt, ut eodem pene loco Catholicos & Turcas plerique eorum sectatores nunc habeant.

44. *Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum.*

Quia Cornelius ante baptismum Spiritu S. donatus est, magnū se argumentum nacti opinantur noui hodie sectarij, baptismi Sacramento diuini Spiritus & regenerationis gratiam non conferri. *Delapsus est Spiritus S. ante baptismum* (ait hoc loco Bullingerus) *v. palam fieret & Iudaeis, & Gentibus,*

tibus, iustitiam Dei nullis acquiri rebus externis. Nam & ante baptismum & sine circumcisione & ceremonijs donatus est Spiritu Sancto Cornelius. Hæc ille. Acrius, more suo, & mendacius Calvinus. Papistarum, inquit, superstitionem valide hoc testimonium refellit, qui Spiritus gratiam signis alligant, eamque exorcismis non secus elici putant à celo, quàm olim saga lunam suis carminibus detrabere se putabant. At qui quum narret Lucas, Spiritu sancto iam fuisse donatos, qui nondum baptismo initiati erant, Spiritum baptismo minime esse inclusum ostendit. Hæc Calvinus. Cui primum seorsim respondeo, hominem nimis reprehendendi avidum, dum undique Catholicos ferire contendit, suo se telo conficere. Nunc enim quidem, ut Spiritus sancti gratia baptismum spoliet, vult Cornelium Spiritu sancto donatum esse, ex eo quod Lucas narrat, *Cecidit super eos Spiritus S.* At qui paulò antè ad eundem locum ita scripsit: *Differunt à gratia regenerationis hæc dona, quorum meminit Lucas.* Si ergo à gratia regenerationis illa dona differant, & gratia Spiritus S. quam in baptismo dari docent Catholici, non est alia quàm regenerationis gratia; profectò quòd Cornelius prius Spiritu S. donatus dicitur, nihil probat contra baptismi efficaciam: nihil impedit quo minùs in ipso baptismo hanc gratiam regenerationis acceperit. Rursum suprà cap. 8. vbi dicitur *per impositionem manuum Apostolorum datum*

Calvinus
suo se telo
conficit.

tum esse Spiritum sanctum, fortissimè sustinet Calvinus (vt contra eum eo loco disputauimus) nihil aliud hoc fuisse, quàm externa & uisibilia illa dona, loquilinguis, &c. ad ornamentum vel adificationem Ecclesiæ data; nullam autem internam Spiritus sancti gratiam fuisse; quæ uidel prius per Philippum in baptismo data vel potius ob signata fuerit. Rursum igitur sequitur, ex eo quòd super Cornelium & alios ceciderit Spiritus sanctus, nihil concludi aut probari posse (in sensu Caluini) quòd postea baptizati regenerationis gratiam non acceperint. Non enim in textu apparet (stando in sensu Caluini) hanc internam & propriam Spiritus Sancti gratiam illos prius accepisse. Ita, ut dixi, dum undique ferire & nocere conuenit Caluinus, sibi ipsi manus intulit, suas ipse assertiones & collectiones destruxit.

Sed nunc ad rem ipsam, & ad utriusque collectionem breuiter ex S. Augustino respondemus qui hoc in Cornelio priuilegium baptismi uirtuti & efficaciam nihil derogare ante tot secula docuit. Sicut enim nihil derogat circumcisioni quòd Abraham ante circumcissionem iustificatus fuit; ita nihil derogat baptismò, quòd Cornelius ante baptismum sanctificationem spiritualem accepit. Sicut in Abraham (ait Augustinus)

præcessit fidei iustitia, & accessit circumcisio signaculum iustitiæ fidei; ita in Cornelio præcessit sanctificatio

Baptismi
efficaciam
Cornelij
priuilegium
nihil de-
rogat.

De baptis-
mo cont.
Donat. lib.
4 cap. 24.

Etificatio spiritualis in dono Spiritus Sancti, & accepit Sacramentum regenerationis in lauacro baptismi. In utroque præcedens iustitia & sanctificatio, priuilegium & documētum erat, ad utriusque Sacramenti vim & efficaciam denegandam argumentum non erat. In Abraham & priuilegium erat, ut eo modo omnium credētium pater esset, tam ex praputio quàm ex circumcissione (sicut Paulus demonstrat) & documētum erat, non ex lege aut ceremonijs legalibus, sed ex fide in verum Deum per charitatem operante, hominem iustificari. In Cornelio & priuilegium erat, quòd primus ex Gentibus ad fidem Christi vocatus, sanctificationis gratiam ante Sacramentum eius acciperet; & documētum erat propter conuersos Iudæos, sed legis adhuc zelatores, ut hoc extraordinario miraculo intelligerent etiam non circumcisos ad nouum fœdus pertinere, & ad pœnitentiam vocari. Hoc enim ipsum quum allegasset Petrus, dicens; *Cum cepissem loqui, cecidi: Spiritus Sanctus super eos, sicut in nos in initio; si ergo eandem gratiam dedit illis Deus sicut & nobis qui credidimus, ego quis eram qui possem prohibere Deum? statim his auditis tacuerunt, & Deum glorificauerunt dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Propter infirmos ergo conuersos Iudæos, & ut eorum animi hac nouitate minùs perturbarentur, deque zelo legis remitterent (*monstris quæppe*

Abraham
 cur ante
 circumcissionem iustificatur.

Cornelius
 cur ante
 baptismum Spiritum
 accepit.

AA. II.

quippe loco habebant, ait infra Calvinus, *Gentiles sibi aggregari, non secus ac si ex lapidibus homines formatos audissent*) extra ordinem factum est, ut primi Gentiles conuersi ante baptismum, & ante incorporationem Ecclesiae, tam sanctificationem inuisibilem, quam visibilia eius dona acciperent. Docet igitur hoc exemplum, ut alio in loco colligit Augustinus, *quod inuisibilis sanctificatio quibusdam affuerit atque profuerit, possitque interdum adesse & prodesse, sine visibili Sacramento, & quod Deus non alligatur suis Sacramentis, quod vulgare Theologorum axioma est.* Sed non docet visibile Sacramentum ideo semper esse expers gratiae, aut nullam gratiam conferre, quia interdum & aliquando absque Sacramento confertur gratia: videlicet quando (ut utroque citato loco Augustinus) *mysterium baptismi non contemptus religionis, sed necessitatis articulus excludit.* Denique obseruat sapienter Augustinus, Cornelium *inuisibili sanctificatione prius donatum, Sacramentum tamen baptismi suscipere debuisse, quia salus hominis ex utroque perficitur, tam cordis conuersione quam baptismi Sacramento.* Vnde & ipsum baptismum in Cornelio vocat *sanctificationem visibilem.* Manet ergo salua baptismi vis & efficacia ordinaria quam scriptura docet, ut sit *lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, ut per illum saluos nos fecerit Deus,* quatenus salutis adipiscendae ianua & initium

In Leuit.
lib. 3. q. 14

Cap. 25.
lib. citati.

In Leuit.
vbi supra.

Tit. 2.
I. Pet. 3.

Ephes. 5. tiunt erat, *vt in illo Christum induerim*; s; vt de-
Gal. 3. nique *in hoc lauacro aquæ & verbo vitæ*, (verbo
Euangelico quod ad elementum accedit)
Ecclesiam suam Deus quotidie inundet. Nec inui-
sibilis sanctificatio Cornelio & socijs eius
primitijs Gentium singulari priuilegio an-
te illum susceptum collata, sanctificationi,
quæ per illum ordinariè confertur, quic-
quam derogat.

Ad hæreticorum odiosa verba quod atti-
net, quibus semper causam orthodoxam
aggrauant; *neq; rebus externis iniustitiam Dei ac-
quiri docet* Catholici, vt Bullingeri verba ha-
bent, vel absque vera & interna cordis con-
terfione, vel ex ipsarum rerum externarum
aliqua virtute, quæ tota ex Dei instituto
pendet, qui (vt alibi scripsit Calvinus) *sym-
bolicis externis liberè vtitur, vt testatum faciat tan-
tum esse potentiam in singulis creaturis, quantum ipse
dare velit; & vt ostendat suo arbitrio subesse omnia;*
nec Spiritus gratiam signis alligant, vt garrit Cal-
uinus. addens spiritu Lucianico & ethnico
nos *exorcismis Dei gratiam à celo sicut sagas lunam
carminibus elicere*; sed per signa quidè & Sa-
cramenta à Deo instituta ordinariè Deum
operari dicimus; licet extra ordinem absque
illis omnem sæpenumero gratiam quibus-
dam cõferat. Exorcismi ceremonia in bap-
tismo adhibita aded peruetusta, & per to-
tam Ecclesiam recepta ceremonia est, vt
Cynici huius latratus omnes, tametsi vete-
rum

In com-
ment. ad
Ioan. 9.
ver. 6.

rum hæreticorum rabiem & furorem excedant, Pelagianorum scilicet, qui illam ceremoniam in tota Ecclesia vstratissimam conuellerent (ex qua tamen eorum error aperte conuincebatur) non sunt ausi, aduersus eam frustra, & non sine nota summæ infamiæ, post tot iam sæcula obganniant. Antiquitatis consensum contra similes Caluini grun- nitus in Antidotis nostris Euangelicis pro- duximus.

Vide Au- gust. de peccato orig. lib. 2. cap. 40. & de vni- co bapt. cap. 14. & epist. 105.

In Matth. cap. 12. ver. 26.

CAP. XI.

3 *Quare introijsti ad viros præputium habentes, & manducaisti cum illis? 4. Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem.*

Quia B. Petrus, ex postulantibus & scandalum non leue passis fratri- bus, facti sui rationem aperte & modestè explicat, duplex ex hac Petri modestia venenum fugit Caluinus. Primum, nullam fuisse Petri supra ceteros auctoritatem. *Quia* (inquit) *meminerat se vnum esse ex grege, non modò in ordinè se cogi patitur, sed spon. e Ecclesiæ iudicio se submittit. Et in sua In- stitute: Quum accusatur quòd ad Gentes in- gressus fuerit, etiamsi id sit immeritò, responderet ta- men, & sese purgat.* Hæc ille. Atqui hoc factum Petri insignem quidem modestiam & su- premo Pastore dignam demonstrat, aucto- ritati

Petri au- thoritas astringitur.

Instit. lib. 4. cap. 6. num. 7.